UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Patris D. Hludowici Blosii Abbatis Lætiensis Ordinis S. P. N. Benedicti Tomus Posterior Margaritum Spirituale

Blois, Louis de

Monasterii Campidonensis, 1672

Epilogus. De Novitio in septem præmissis Meditationibus exercendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45885

Visual Library

me diligens, mihiq; innumera beneficia conferens : ſed ego, heu! infideliſsimus nimiumq; ingratus tibi fui, & adhuc ſum. Prædictum exercitium purè exercebit ad honorem Dei : omnem hominem, quantumcunque etiam malum, ſibi in corde ſuo præponet, eumque ſe meliorem reputabit.

7. *Mens per crebras adſpirationes in Dei præſentia ſtabilitatur.*

Conſueſcet mentem ſuam frequenter revocare erigereque ad Deum ; & hoc etiam in colloquijsatque operibus externis faciet : ne ipſa mens vaga, & propoſiti ſui oblita, atque à Deo nimiùm elongata, puritatem internam, gratiamque priſtinam amittat. Piè attendet amabilem Dei præſentiam, ſciens eum omnes ſuas cogitationes, verba & actus ſemper inſpicere. Adſpirabit ad ſponſum animæ ſuæ JESUM CHRISTUM, & dulcia amoris colloquia cum eo miſcebit. Hac ratione & hanc vitam cum jucunditate tranſiget, & poſt mortem corporis, ad æterna vitæ immortalis gaudia perveniet. Amen.

EPILOGUS.

De Novitio in ſeptem præmiſsis Meditationibus exercendo.

NUllus poſthàc in Monaſterio noſtro Lætienſi admittatur ad profeſſionem monaſticam, niſi priùs diligentiſſimè ſe exercuerit in illis ſeptem Meditationibus, quæ de peccatis, de morte, de judicio, de inferno, de vita & Paſſione Chriſti, deque imitatione ejus & Regno cæleſti conſcriptæ habentur, ſervata ea ratione quæ in illarum præfatione declaratur Sciendum auté, quia quamdiu Novitius erit in prima ſua exercitatione, hoc eſt in exercitatione repetitionem ipſarum Meditationum præcedente, ſilentium ſtrictiſſimè ſervare debebit, niſi fortè neceſsitas cogat eum aliquot verba interdum proferre : quæ etiam non niſi modeſtiſsimè proferet. Si interim amici vel parentes ejus ſupervenerint, non aliter ſe eis adjunget, quàm ratio & Superior ſive Director permittet. Ab Abbate tamen & Priore ſive Directore ſuo poterit ſemper religiosè quærere, & illis indicare quod credet utile eſſe. Imò quotidiè, ſi interrogetur, dicet Directori ſuo utrùm horas exercitio deputatas, plenè in exercitio expenderit, exponetque quouſque pervenerit : & declarabit apertè, absque aliqua diſsimulatione, quid egerit, & quomodo ſe habuerit. Prætereà durante ſua prima exercitatione, nec ordinarium nec ſolemne ſpatiamentum cum ceteris Fratribus habebit : ſed manebit in cella ſua, niſi infirmitas aut alia aliqua neceſsitas contrarium expoſcat. In qua etiam cellâ ſuâ ſolus comedet, quandocunque lectio remittetur ſub refectione conventuali. Inſuper quamdiu erit in prima exercitatione, Matutinis conventualibus non intererit, niſi ſit ſummum Feſtum : non intererit

Meditationes piæ.

etiam lectioni regulari. Communionem ſive Euchariſtiam accipiet ſingulis diebus Dominicis, & in ſummis Feſtis. Exercebit verò ſe manè unâ integrâ horâ ante Primam Canonicam, & unâ horâ ante Sextam Canonicam. A prandio ſimiliter exercebit ſe duabus diverſis horis ante Veſperas Canonicas, ſi commodè fieri poteſt. in ſummis Feſtis quando debebit intereſſe Matutinis conventualibus, non ſervabit manè exercitium, niſi ad unam horam ante ſummam Miſſam. Ubi prima exercitatione ritè tranſacta pervenerit ad ſecundam (quæ eſt prima exercitiorum ſeu Meditationum repetitio) jam in ipſis exercitijs non ampliùs ita indigebit Directore. Intererit Matutinis, & ceteris actionibus conventualibus more aliorum Fratrum: unde duabus duntaxat horis ſe exercere in die poterit. Permittetur etiam ire ad hortum, ac ſpatiamenta habere; ſed adhuc multùm taciturnus erit, & non niſi parciſsimè loquetur. Ipſa ſecunda exercitatione plenè finita, deinceps tertia exercitatione (quę eſt ſecunda exercitiorum repetitio) erit paulò liberior, honeſtè & monaſticè ſe gerens in omnibus. Si plures fuerint Novitij, peragent exercitia unus poſt alium: ita ut ubi unus compleverit primam exercitationem, ſecundus eam inchoët, ad laudem Dei.

(o)

VENE-